

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0613

0611

0617

0607

0622

0602

0662

0562

0712

0512

1112

0112

Ende

Anfang

40

cum aliis, noluit transnatare aliis transnatantibus, exuit tamen se vestibus et aquam intravit, ut se refrigeraret et lavaret, et ingressus vix usque ad umbilicum mergi coepit, et subtractus in aquam nusquam comparuit. Insuper in illa mea secunda peregrinatione, quam nunc describo, transnataverunt multi, nec curaverunt prohibitionem Sarracenorum, qui prohibent, et periculum aliquod futurum praedicunt et transnatantes inclamat. Inter illos fuit unus sacerdos, qui etiam, sicut ego feceram, transnatavit, qui in alia parte existens omnes vires corporis amisit et nequaquam amplius natare aut potuit aut scivit, et stabat tremens, quem cum magnis laboribus socii reduxerunt sui, infirmum et fractum, cum tamen ante fuisset robustissimus, et mihi singulariter familiaris. Saepe eum interrogavi, quid sibi acciderit? Qui dixit, se subito privatum viribus. Interrogavi peregrinos, qui ante me et post me circa Jordarem fuerant, et semper inveni, quod aliqua turbatio accidit alicui.

Ex jam dictis surgit quaestio, unde hoc accidit, quod frequenter periculum et turbatio in illa balneatione contingit, cum tamen fluvius non sit latus, nec rapidum cursum habeat, sed satis lentum? Ad hoc primum dicunt, quod quaedam belluae insidiosae in illa aqua latitant, quae, dum motum sentiunt natantis, ascendunt et natantem conantur rapere. Alii dicunt, quod quia locus ille est prope faucibus, per quas Jordanes in mare mortuum illabitur, ideo fit ibi quaedam commixtio aquarum de mari mortuo, et propter malitiam illarum aquarum debilitentur vires transnatantium, Alii dicunt, quod in mari mortuo nihil vivit, nisi quaedam inhumanae et infernales bestiae, quae ascendunt de mari sursum ad hominum necem. Alii dicunt, quod periculum contingit ex forti imaginatione, audiunt enim peregrini de istis periculis (B), et quilibet timet et cavet, ne sibi aliquid contingat, et in illo timore omnes transnataant, quorum quidam ex forti imaginatione putant se tangi, vel subtus trahi. Caeteri dicunt, et forte rationabilius, quod, quia transnatatio est signum petulantiae et dissolutionis, quae non expedit in tam sancto loco fieri, ideo permittit Deus tribulationem alicui evenire, ut caeteri seriosi, maturi et timorati fiant. Locus enim ille propter

